

dictum Ängill, prius inpignoratam, et termino inter ipsos recepto, non resolutam, mihi tamen actione percisionis *) attingentem, prædicto Domino Magno, ex parte mea suis hæredibus libere dimisisse. In cuius rei testimonium, sigillum meum præsentibus est appensum. Datum wärnamo, Anno Domini M.CCC.VIII. in die beatorum Philippi et Jacobi.

Sigillet, enligt teckningen, borta.

1583.

1308 d. 23 Maj.

BIRGER THOMASSONS af Hageby testamentariska anordning af jord, penningar och lösören till kloster, kyrkor och enskilda personer.

A. 3. h.

In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen Anno domini M° CCC° VIII° in die ascensionis domini Ego BIRGERUS THOME quondam FILIUS de hægæby licet corpore debilis mente tamen sanus et robustus videns mundanam felicitatem ut fenum agri in nichilum redigi hominisque uitam super terram vt umbram cicius pertransire propter temporalis mortis acerbiter et nouissimum examen michi super venturum saluti anime mee volo diligenter providere vnde testamentum meum condo in hunc modum monachis et monasterio de iulatum ubi locum eligo sepulture lego hec bona videlicet curiam meam sæby in næsi apud almarnæstek perpetuo iure possidendam cum omnibus bonis mobilibus in eadem curia existentibus atque attinenciis eius videlicet agris pratis pascuis piscacionibus siluis nemoribus intus et extra sepes Jtem capellam meam cum calice libris et omnibus suis ornamentis atque decem marcas vsualis monete do monachis supradictis Jtem domino abbati de iulatum do decem alias marcas denariorum Jtem claustro de wretum eciam decem marcas currentis monete Jtem fratribus in arbogum tantum hoc est decem marcas Jtem ecclesiis in quârum parrochiis bona habeo hoc est cuilibet earum do vnum solidum terre et cuilibet plebano dictarum ecclesiarum do duas marcas denariorum ea de causa ut me mortuo quilibet eorum in qualibet septimana missam pro anima mea semel ad minus celebret usque ad annum Jtem ecclesie strengenensi do vnam horam terre in thorlundum Jtem margarete knudhs doter do quinque horas terre et duos denarios terre suderbý in tumbo hærædhæ ista condicione mediante do cum iam dicta margareta grauida esse videtur prole mea illam eandem terram in suderbý dicte proli cum ad vitam venerit temporalem assigno iure paterno hereditandam, Modo quia mater cuiuslibet sui infantis morientis heres esse videtur ad huc eam terram in suderbý meis heredibus dimitto resoluendam,

*) permutacionis?

ita tamen quod sepe dicta proles mea subito mortua fuerit in hoc mundo, Jtem pueris meis ista duxi danda videlicet markusi duas horas terre quinque denariis minus in østerløssæ atque dextrarium meum cum omni armatura militari Ingewaldo praam quinque marcas denar. Laurencio in hýffrabý tres marcas denar. Jtem Laurencio de *) duas marcas denar. Jtem nicholao quondam koco meo duas marcas den. ad sepulturam, Jtem susanne sororie mee tres marcas den. ad dotalicia, Jtem nicholao ruffo tres marcas den., Jtem ingeldo stigh duas marcas den., Jtem hungero schamhals duas marcas den. Jtem heriulfo quinque marcas den., Guthormo tres marcas Petro sororio meo tres marcas den. Jtem iohanni villico in wesbý pro debito quod teneor ei et donario do tres marcas, Jtem arnwido siluario duas marcas, Gunnoni piscatori duas marcas Magno erici vnum tentorium, Jtem fratribus in eskilstunum decem marcas, Jtem fratri stenulfo quinque marcas den. Laurencio thouæ son duas marcas Jtem domino matheo quondam filio ketilmundi do cornu meum quod dicitur buckuljækæ Domino magno quondam gregorii do aliud cornu quod dicitur rinnianden, benedicto kanuti do cornu meum brokan Gregorio kanuti do cornu meum quod dicitur sylschatten, Jtem sigwido østansson vnum cornu rubeum, Jtem katherine filie sigwidi vnam brazam auream, Jtem cuilibet villice mee vnam vaccam, pro soluendo testamento meo singulis ut recipiat quibus testamentaliter quod uel quantum dedi curiam meam sigwalstadhæ assigno in pingnore et infra annum omnino ab heredibus meis redimendam, alioquin ex tunc nuncquam dicta curia ab eisdem heredibus meis redimetur sed volenti et tenenti linialiter digno foro vendenda dimittetur aut eciam si de linea mea non inuenitur homo qui sepius memoratam curiam emere suffecerit alius aliquis quamuis incognitus eandem curiam digno precio comparabit Ne quod absit omnia iam premissa per heredes meos in aliquo possunt inpediri vnde michi meritum meum precludetur et heredibus meis periculum aliquod in anima possit prouenire vnum tamen excipio si me contingat liberos habere michi superstites in hoc mundo tunc ad huc eadem kuria sigwalstadhi per suos proprios fructus annuatim prouenientes se de omni anno in annum de omni inpignoracione et vendicione liberabit quoad vsque omnia superius memorata fuerint totaliter per soluta et sic demum talis possessio dictis liberis meis erit inperpetuum possidenda, Jtem hec omnia debita mea que diuersis reddere teneor videlicet erico sigwals son quatuor marcas den., Ecclesie thorshiergie duas marcas den. Jtem cuidam mercatori arosie qui tenet ciffum meum argenteum in pignore duodecim horas olauo de halstum XIII^{cim} marcas, theoderico in arosia VII horas solido minus, hennickino býttingi quinque marcas duabus oris minus de

*) Namnet har ej blifvit utskrifvet, utan är lakun lemnad i brefvet.

fructibus in sigwalstadhūm prouenientibus omnino persoluantur Exequutores eciam istius testamenti mei instituo discretos viros et honestos Siguidum østani quondam filium, et Kanutum quondam erengisel filium dans eis plenam et liberam facultatem de predictis omnibus disponendi, In cuius rei testimonium et euidentiam pleniorē sigillum illustris principis domini Erici ducis dei gracia regni sweorum presentibus est appensum, vna cum sigillis discretorum videlicet domini E abbatis de iulatum, Domini magni quondam gregorii, Domini mathie quondam ketilmundi, Gregorij quondam kanuti et benedicti fratris eiusdem sigwidi quondam østænsson atque appendente sigillo meo in memoriam premissorum et munimen, Fuit eciam hec pagina scripta in presencia istorum testium domini E abbatis de iulatum et sigwidi østænsson atque thome filii sui, Magni erici olauī de halstum, birgeri ko, et laurencii de ouerby. Datum anno domini ut supra.

Sigillen N:o 1, 3, 5 mer eller mindre skadade; 2 och 4 bortfallna, remsorna kvar.

1584.

1308 d. 30 Maj.

Rumby.

Uplands Lagmannen BIRGER PETERSSONS slutliga öfverenskommelse med Simon af Sundby i Ryds socken, hvarigenom den sistnämnde erhåller Brokenäs, Sundbybolstad med ekskog samt Sundby, emot det han afstår öarne Hennegarn, Herkelsö och Helgö samt utbetalar vissa penningssummor till Sigtuna Predikarebrödrakloster och Täby kyrka.

A. 6. a.

Omnibus presentes litteras inspecturis BIRGERUS PÆTERSSON vplandie legifer salutem in domino sempiternam Tenore presencium constare uolo certitudinaliter vniuersis, quod inter me ex parte vna et simonem de sundby parochia ryd ex parte altera, super prediis quibusdam, et causis que inter nos vertebantur hoc modo finaliter est placitatum, videlicet, quod ego predium meum brocænes, jtem siluam quercinam in sundbybolstadhe, et predium sub dicta silua et omnem vsum predicti predij, et silue, et ius quodcunque habui in sundby in villa quam incolit, et ius inpetendi aliquid in sundby ipsi simoni ac suis heredibus, pro me et meis heredibus, iure plenario dimitto, ipsum ac heredes eius liberum dimittens, ex parte mea ac heredum meorum ab omni inpeticione, ex quacunque causa, quam habeo contra eum, sub hac condicione, videlicet, quod ipse simon, ex parte sua, ac heredum suorum, mihi, meis que heredibus, assignat, et appropriat, quidquid possidet in insulis, hennægarnum, herkilsø, halgø, cum aquis, piscarijs, et omnibus adiacencijs ad dictas insulas pertinentibus, prout nunc adiacent vni marche terre quam possidet in sørby, jnsuper debet et promisit dictus simon, quod conuentui sictunie fratrum predicatorum soluet ex